

Fine.

DE LAVDIBVS MARCELLI II. PONTIF. MAX.

ORATIO.

MARCELLI CERVINI POLITIANI eius Pronepotis.

Habita ab eodem in Templo Collegij Politiani Societatis Iesu, Anno Domini M.DC.XI. Kal. Iulij, ætatis suæ Anno XV.



SVPERIORVM PERMISSV.

SENIS, Ex Typographia Matthæi Florimi. 1612.

renouarem. Vilia quidem sunt quæ tibi dicamus, dum nostra dicamus, sed quoniam ex Farnesio proueniunt, assurgent illa fientq; te capiente pretiosa, dumq; laudes Ceruinas videbis, Farnesium beneficium videbis. Erit deinde humanitatis tuæ (Card. Illustrissime) si iterum nos reperiemus in te, non modo fidei tutelam, sed etiam ornamentum amoris tui, ne nos aut falsam gloriarum hereditatem à Farnesio videamur repetere, aut ipse nos veluti tanta hereditate indignos filios exheredandos Tutor iustissimus putes. Faxit Deus Opt Max. vt quoniam Ceruinam domum in perpetuum iacere non patitur, eadem domus in Odoardo, patrocinij quasi generosum semen iterum recreetur, ac diutissime reuiuiscat. Vale.

DE MARCELLI CERVINI II. PONT. MAX. LAVDIBVS.

ORATIO.



I quantum ſapientis viri eximia gloria, & in ſumma rerum geſtarum magnitudine poſita dignitas poſtulat; tantùm ab oratore laudationibus impendi poſſet, nemo reperiretur (Auditores ornatiſſimi) tam infirmis eloquentiæ viribus inſtructus, tam eneruatis exornandi pręſidijs immunitus, qui non parem animo ſuo dicendi facultatem afferre ſe poſſe conſideret. Sed quoniam multorum ſæpe virtus, immortalitatis quaſi æſtu in ſublime abrepta, nullam ſui partem cenſet ad mortales pertinere: admiratione ſuſpici quidem poteſt, prædicatione attingi non poteſt. Admiramur omnes, ac ſimillimum Deo iudicamus, ſi quem nacti erimus, qui ciuitatem ſapienter geſſerit; prudenter adminiſtrarit, qui ſuam omnem curam cogitationemq; in bonos ciues defixerit, qui ſemper proſpera, æquabili, perpetua fortuna, tranquillo, & placato vitę quaſi nauigationis curſu ad pacis portum popularium ſuorum moleſtias, vt procellas, appulerit. Sed nimirum certorum hominum, certum ac circumſcriptum imperium eſt. At verò Pontifex Maximus omni imperio maior omnium ſa-

 lutis.

profusus nepos dissipem ac disperdam non minus tacendo, quam nimium ineptè alius loquendo lautam & copiosam pecuniam temerarijs sumptibus profligasset. Immo sit hoc opimum decus, ac votum adolescentiæ meæ non priùs me locutum fuisse, quàm de Sanctissimi Pontificis laudibus prædicasse; primaq; mihi decurrenti in dicendo honorum spatia, pontificiam, idest vltimam honoris metam occurrisse.

Et quidem suspicere solemus in summo Antistite, quod sit generis nobilitate gloriosus, quod sapiens, quod mitis, quod prudens, quod pudens, quod iustus, quod liberalis nihil vniuersi sciant Marcello esse nobilius, nihil sapientius, nihil mitius, nihil prudentius, nihil pudentius, nihil iustius, nihil liberalius. Sanctimoniam autem in Marcello nolimus per Deum immortalem quamlibet cogitare; est .n. quædam quam insitæ in animo virtutes, & clarissimis testimonijs, multis in rebus Dei Opt. Max. testificatio apertissima opis, atq; operæ comprobauit. quicquid deniq; sanctum, quicquid religiosum, quicquid sapientia conspicuum reperiri aut excogitari potest, id in Marcelli vita honestissimè, ac sanctissimè acta plenissimè redundauit.

Multi Marcelli, vt est in originibus, homines ornatissimi, & singuli ferè dotibus singulis ad stuporem vsque floruerunt. Sed in particula virtutis vitiorum summam, & genus copularunt. alij fortunas, & opes per luxum ac molliciem funditus euerterunt, alij nefarias libidinum contumelias turpitudinesq; suis criminibus subierunt, plures acerbissimo vitæ fato propter scelerum conscientiam, stimulante desperatione, ceciderunt.

 derunt.

ragrauit, quem potiùs peruadet, quem deliniet meliùs quàm Hetruriam, quam Politianum montem, ex quo Marcellus in hanc mundi fabulam, & communem vitę scenam promiscuè missus, regis erat personam diuino prouehente Numine relaturus. Verum tanta laudum seges non tam in patria solo, quam in nitidissimo Hetrurię totius tractu splendescit. Singularia .n. quędam ex Hetruria nata sunt Auditores, quę de nulla fortasse alia prouincia dici aut celebrari possunt. Gestiunt gestiunt omnes prouincię, gratulantur omnes populi, regna ipsa de honoribus ab Hetruria sibi impertitis auidissimè gloriantur. Celebratissima omnium sermone res erat apud Græcos, quin Gręcia ipsa placebat sibi, & beatissimè indulgebat quod eius tres Ciuitates, tria Græcorum ornatissima capita procreassent. Quòd Misene Nestorem extulissent incredibili prędirum atq; instructum prudentia. Quod Lacedęmon genuisset Menelaùm, tanta temperantia insignem, vt Iouis gener mortali conditione maiore nomine diceretur. Quod Argiuorum ciuitas peperisset Agamemnonem, quem non vna insigniret virtus, sed quem vniuersus fermè virtutum chorus suauissimè permulceret. O nomen Hetruriæ nostræ, o Tuscorum excellentem dignitatem; o Politianam nominatim sic longè lateq; diffusam laudem! eius vt gloriæ propagatio in ipsis cœlestis regni claustris, diuinæq; aulę custodibus terminetur. Dedit Florentia inter cæteros Leonem decimum Medicæum tanta prudentia liberalitatis splendore illuminata, eo vt autore litterariæ rei sensus, Cæsaribus Capitolium, Romę Roma resti-

restituta videretur. Genuerunt Senę Pium Secundum tanta moderatione animi, & temperantia, vt subter se cuncta habuerit, resq; omnes humanas tenues, & pro nihilo existimarit. Pace verò istorum nec obscurata existimationis magnitudine dixerim, ex Monte Politiano egressum fuisse Marcellum, tot fortunæ bonis subornatum, tot diuinis fultum præsidijs, tanta in omni genere ac varietate artium frequentia stabilitum, inter vt Temperantiam, ac Prudentiam quasi inter geminas alas, pennas etiam ac plumas versicolores plurimarum virtutum ad animi sui ornatum addidisse videatur. Ac ne in re immensa, & propemodum infinita diuagetur oratio, Ceruinas laudes ex rethorum amplissimis campis, in Academiæ designata spatia concludamus. In summo homine tria posita esse volunt Greci, Iustitiam in omnes, Prudentiam in actionibus, Pietatem in Deum, quibus quasi aureo tridente expiscari putant Neptunum perfectissimos homines quos cœlo inferat, ac Iouis simillimos, Ioui gratissimè repræsentet. Pari igitur commento in pręsentia oratio mea, non de verborum splendore sollicita, sed veritatis locupletissimis stipata testibus incedens, si quo modo poterit impari hoc virtutum numero, maiorem, & imparem quibusuis honorum generibus Pontificem Ceruinum esse declarabit. Atque vt à Iustitia domina ac Matrona virtutum oratio mea proficiscatur, nulla vnquam pars vel animi vel corporis à Iustitia vacua, vel nuda in Marcello fuit, quin in toto vitæ cursu, neque fecit quod sciret non licere, neque quod liceret, scire neglexit, nulli facere, sed honesta obliuio-

ac propulsare iniuriam, numquam ex imperitæ multitudinis voce pendere, omnia habere, à nemine haberi, melius parentem, quam heredem gloriarum esse. Naturam omnium communem, & vnam esse, clarissimum quemque clarissimam sibi effingere, diuitias vel ditiori animo contemnere, vel ad munificentiam liberalitatemq; conferre, omnia sibi expedita, atque explicata putare, ex quibus ad honestatem gradus patuisset. Vix primam pueritiam ingressus, vt erat altissima quadam mente præditus, non longè à domo vt plerique faciunt, ad capiendum ingenij cultum concessit: sed à parente ipso multiplicem rerum cognitionem degustauit. Erat Marcello Ricciardus pater Mathematicis, & Astrologia illustrissimus, qui tam studiosè numeros motusq; cœli pertractabat, nihil vt tam obscurum, quod non sua diligentia, nihil tam enodatum, quod non sua sapientia explanatum videretur. Hic à Clemente Septimo Pontifice Maximo Romam honorificentissimè fuit accersitus, vtq; Romanum Kalendarium fixum, & æquabile redderet, precibus, præmijs, honoribus propositis inuitatus. Hic Ricciardus accerrimè se exercuerat in Academia quę tunc Florentiæ florebat, ex qua veluti ex nitidissimo, atq; feracissimo campo, mirum quam splendentes, quam madentes honoribus propagines pupullarunt. Eius Academiæ apex erat Magnus ille Laurentius Medices, qui Patres Vrbi, Orbi Pontifices genuit. Marcellus interim à patris latere nunquam discedere, ab illo quasi germano fonte superùm sibi cognitionem haurire, & celeriter tam mirabiles progressus in Mathematicis, fecit

adeò

adeò sublimi ingenij altitudine cœlum de facie nouit, & rerum quę naturę obscuritate occultantur, mores, nouus siderum aulicus indagauit, cunctas vt stellarum naturas non opinari, sed scire, non vidisse, sed tractasse, non appropinquasse, sed interfuisse cœlo, qui cœlum clausurus, atq; aperturus erat, videretur. Extat adhuc eius libellus, qui licet intra domesticos parietes suam gloriam alat, in forensi tamen luce maximam fuisset assecutus. quo in libello de Speculis combustibilibus versatus, subtilis, elegans, sermo legitur, atq; vt mea fert opinio, debita opera Ceruinus ea scripsit, qui sanctimoniæ ac Iustitiæ Speculum, maximas omnium virtutum imagines aliis erat monstraturus, & cœlitum in sui concauum humilemq; animum diuinę bonitatis Solem, in mortales vniuersos Pontifex cœlesti erat incendio dispersurus. Cum Senas ad pueritiam plenius informandam litteris profectus esset, Qua in Celeberrima Ciuitate, apud Spanochios presertim summo in honore fuit, Politis Alegrettis, Ac carisijs Gazais Picolomineis, Burghesijs vtebatur amicissime, nullus deniq; ordo Senis fuit, qui non maximam existimationem deferre Marcello, ita vt is gratissimo deinde animo Senas veluti suam longe præclarissimam patriam perpetuo adamarit, illud antiquissimum habuit, vbi Ver effluxerat dum se æstiui calores frangerent, Castilionem petebat oppidum id ad Vrciam flumen in Senensi tractu situm est, ibi cura, & labore vacuus in hortulis serendis, aut ramis arbori copulandis, aut tempus fallebat, adminicula ordinabat cœlestis futurus hominum sator, hominum vitia radi-

citùs

citùs extracturus, & ad cęlestes satus accipiendos mortalium animos aperturus. Inter cœtera oliuetum in iugere apposito instituit, tanta deinde fructus prosperitate, tantis opportunitatibus fœlix, nulla vt vnquam tam turbulenta, tam repentina tempestas (si testium perennem fidem, atq; experientiam audiamus) nulli tanti imbres, turbines procellæ impedierint, aut maturitatem in oleis, aut in maturitate vberrimam, ac lætissimam segetem retardarint. Nimirum tam fœlix oliuæ sator, non donandus olea Apollinari, sed Petri in omnem perpetuitatem viridissima erat Laurea decorandus. Neque verò illas artes neglexit, quę sicuti non inter primas recensentur, neque etiam homini, præsertìm libero, atque ingenuo vulgò necessaria existimantur; natare didicit, piscatum insectatus est, vt potè qui Domini piscator laxaturus erat retia in hominum capturam. Geometriam animo toto comprehendit, qui vniuersum terrarum orbem suo erat imperio dimensurus, &, quod in adolescente mirari nunquam desinas, nulla ferè ex ijs artibus, quæ Mechanicę appellantur, Marcellum subterfugit, ratus hic opinor non tam à Syracusanorum prudentia, quàm ab Archimedis mechanicis artibus romanos exercitus fuisse prostratos; itaq; antiquissimum illi erat nunquam paratis vesci voluptatibus, nunquam rusticans integra fame vti oblectamentis, nisi priùs aut radio circulos conclusisset, fabricasset sphęrulam, libellos in rectam seriem ordinemq́; suendo plicuisset, vt quemadmodum paucæ mutæ literę inter multas vocales dispersę, in societatem vocis facillimè flectuntur, & mansuescunt, ita me-

chanicæ artes iunctæ simul in altissima Marcelli mente, prę stantissimarum virtutum elementis vberrimè imbuta concentum suauissimum referebant. Verùm vt ad discendi profectum omnibus imperijs, honoribusq; adipiscendis aptissimum reuertamur, quanto studio Ceruinus Gręcos coluit, quanta auiditate illorum literas arripuit, quanta intelligentia partes omnes perfectissimæ Græcorum literaturæ expleuit? omnem honorem admirationem omnem, omne studium in gręcis ediscendis defixit. In summo apud illum amore Homerus fuit, Demosthenem in delicijs fouit, Pindarum in numerato habuit, Xenophonte incredibiliter delectabatur, ita vt plures Græcorum libellos latinis literis illustrarit, Epigrammata multa ex illa in hanc linguam traduxerit, latinaq; quasi Ciuitate donauerit, plures super græcis scriptis mandatę literis cogitationes suæ legantur, tantum honoris, ac dignitatis suo exortæ in animo Athenę pepererunt. Videtis, vt opinor, Auditores quàm recti tenax, quantum ex verò Iustitię penè Antistes fuerit Marcellus, dum hanc primò viuendi disciplinam arripuit, animum sapientię reddere, eò spes omnes, & conatus intendere, vbi eius res gestæ sempiterni nominis suffultę gloria firmissimè niterentur. Iustitiæ imaginem industriæ singularis artifex Chrysippus ita effingi voluit. forma modesta, virginali filo, aspectu vehementi, & ad maiestatem composito, oculorum acribus luminibus, tristem vultum aspersa dignitatis condimenta commendent. Vnde intelligi voluit iustum hominem, non solum moderatum, grauem, sanctum, sed seuerum etiam correctorem

rem

re[redacted]lla in Ceruino mediocritas, neutris extremorum partibus addicta, ex vtrorumque confinio extorris, non magnificentia tectorum delectari, non opum dulcedine irretiri, non auaritię Euripis abſorberi, & quoniam augendi libido cruciatum habet, libidinem omnem mediocritatis excellentia obruebat. Non defuerunt tamen qui Marcellum eo quod prodigalitati omnia denegauerit, reliqueritq; viam molliter ſtratam floribus, atq; herbulis enormium ſumptuum ſeueriorem fuiſſe putent. non ſeueritatis, ſed continentię vitium, ſi vitium virtutem appelles fuit. Seuerum ſolo aſpectu vidiſſes, re & factis longè aliter iudicaſſes. Seuerum in primo congreſſu ſalutaſſes, ſed non niſi liberaliſſimè factus ſatis eius in digreſſu diſceſſiſſes: vt ſi in odoramen ſeueriùs ſtrictum preſſumq; offendas, non tamen eſt quod ſi crebriùs tractes odore mirificè recreatus reuiuiſcas. Fuit in Marcello ſeueritas, quę proprias effrenataſq; cupiditates coerceret, inconſiderato motu elatum animum reprimeret, ne libidinibus fureret animus ne quid rabidè appeteret cohiberet. Fuit ſeueritas, quę inexplebili cupiditate quo affluentiùs in ſcientiarum aſſecutione labores difficultateſq; ſcaturirent, eo ſitiret ardentiùs, grauiùs anhelaret; fuit ſeueritas, ſed in audaciſſimos homines, qui in alterius fama grauiſſimè incurriſſent, qui alterius caſtimoniam probris, integritatem labe, bonitatem infamię maledicentia polluiſſent. Fuit ſeueritas, ſed in eos qui ſanctiſſimum Petri Senatum, auguſtiſſima Chriſtianę Reipublicę decreta abijcere, integerrima Pontificis conſulta, ideſt Cœliſcita, heretica labe,

ac tæterrima [redacted] seueritas, non in vitiosos sed vitia, non impios, sed impietatem, non in facinorosos fraudolentos crudeles, sed in facinora fraudes crudelitatem. Adde verò si Iustitię partes, & quasi tributum est, non solum animum sapientię reddere; Sed corpori quoq; honestatem sobrietatemq; consignare, quis moderatior Marcello fuit? quis mitioribus continentiæ asseclis quasi Virginibus stipatus illustrior? quis prudentioribus coniunctior? quis partium integriorum adolescens? quis in virtutibus effusior? quis in cupidinibus religiosior? Illa verò in hoc viro mirabilia, ac diuina fuerunt, prima illa ętatis initia, tam integra, tam inuiolata, tam vltro procacibus metuenda prestitisse, vt Senis nominatim statim, atq; Marcellus in grege aliquo impurorum, atq; impudicorum hominum appareret, inter quos fœdissimi sermones libidinum illecebræ, ac stimuli spargerentur, retusi ab adolescentis modestia tales stimuli conciderent; nullus alius verecundiæ globus, talem impurorum globum validius disiecisset. eratq; hęc communis omnium vox ac sensus effeminatorum, molles ac delicatos sermones veluti pallentia, ac putida papauera ad aspectum Marcelli suauissimam verecundiæ purpuram inducere, atque vno intuitu æquo iniquo anni tempore, à Ceruino Sole ex obscuris, & in occasum pronis infamiæ floribus, Splendentes honestatis rosas recreari. In Parsimonię autem prouincia quantà Iustitià pręfuit Marcellus quantà temperantia? habebat Villas ęstate, non quo conceptę commearent libidines suæ, sed quo su-

suscepti in studijs labores, vt restituerentur meliùs hyemarent. Sed quid de victu, & comestione dicemus? Num eius mensa effusè erat diues? num meretricio fastu onerata? num veluti aleatorum, & decoctorum destinatum comitium? nihil horum in voluptatibus mira abstinentia, in odore ac sapore habitabat sobrietas, ita cum edendi gustatu dignitatem viuendi copulauit, ita gulæ blandimenta, quibus etiam sopita conniuet virtus infirmauit alioq; traduxit, vt corroborata etiam iam ætate, & Cardinalis, & Pontifex factus, nulla illum conuiuia delectarent, nullę licet exquisitissimę mensę irretirent, nisi quas sacrę scripturę lectiones, ac Sancti cuiuspiam prælectiones quę ciborum suauitatem, sacrorum verborum quibusdam quasi captionibus, & pręstigijs perstrinxissent. Quamobrē non ad artem celatum argentum, non toreumatū elaboratu splendor, non magnificè instructa triclinia, nō ad abaci nitorem textili purpura tapetia visebantur, non vnguentis nitentes, aut fulgentes serico pueri pererrabant, non vernularum strepitu, aut symphoniacorū cantu, & cymbalis atrium personabat, non corinthiorum vasorum prodiga ostentatio, non scyphorum ex succino paria compluria emicabant, non hydrię vinis ætate bibentis vetustioribus redundabant; sed honestatis suauitates vndiq; cernebantur, virtutis famalatus sobrietas, & Abstinētia homini virtutibus ornatissimo seruiebat, ad virtutum Principis mēsam virtutū chorus consistebat, in triclinio. s. in lasciuientis voluptatis suggesto, Temperantia ius dicebat, & in debachantis intemperantię area Temperantia, & Continentia pro rostris abstinentiam pu-

pugnacissimè perorabant. Complures sunt, quis nescit? ij quę genere insignes qui quasi familiæ claritudo vestium solennium splendore geminetur adusq; insaniam concupiscunt, splendidis ornari vestibus, quasi vero sicut hominis decus est familiæ nobilitas, sic nobilitatis lumen, sit fucus, & vestium pompa, nesciunt huiusmodi plus æquo acutissimi, quod dum elegantiorem habitum sitiunt, imbellem fæminam in virili specie criminantur; dumq; muliebrem venustatem in homine succollant, virilem dignitatem in fęmina complectuntur, Quamobrem Ceruinus homo omnium æquissimus, atq; à leuitatis inani spectaculo remotissimus, nunquam extra domicilium limenq; domus pedem extulit quasi videndus in scenam prodiret; quin potiùs, tanquam sanctissimus Censor, qui insolentiores, & ambitiosiores in vestitu cultus, ornatus sui mundissima honestate emendaret. Optimam igitur mediocritatem in vestitus ratione vsurpauit perpetuò, exquisita cura si qua erat, inhumanam, & agrestem negligentiam euitabat, idq; eo fiebat, vt amabilis in eius corpore munditia, ne nęuum quidem suo in animo positum esse declararet in omnibus demum rebus prestantissimam viuendi ducem, & magistram naturā insequens, nihil agere, nihil preseferre, quod non omnium oculorum secundissima approbatione commendari posse videretur. Vestitus non operosus, sed natiua quadam nobilitatis suauitate magnificus, status grauis, maturus incessus, honesta accubatio, modestus vultus, mansueta supercilia, amæni oculi, species tota actionibus, non actiones speciei decorum comparasset. O virum

fœli-

fœlicissimum cuius qui admiratur virtutem, suam non potest non reprehendere, cuius qui suspicit animum, suum non vsq; despicere non potest, dum nihil tua virtute formosius, nihil præstantius, nihil sublimius collocari omnibus in altissimę imitationis exemplo possit; fecit hoc tibi summa æquitas, Iustitia summa, quibus quasi gradibus in cœlum ascendere, tuamq; Ceruam diuino Ouium Pastori voluisti offerre, quę dominicum ouile ad sinceros Christi fontes adduceret. Clarissimam fortunam, & pennicillis omnibus absolutam historię ponunt in Crasso Mutiano Romano homine, cùm sua met opulentia fęlicitate liberalitate, tum etiam quod quinis p. æcipue rebus quinis quasi sensibus fœlicitatem penè totā totus plenissimè degustauerit. quod esset ditissimus, quod nobilissimus, quod eloquentissimus, quod Iurisconsultissimus, quod Pontifex Maximus. Quæ honorum centurię, si ex vna nobilissimę virtutis Ciuitate aduenissent, meritò illum omniū mortalium fama celebrasset; sed cum ex fortunę temeritate, & semirutis quibusdam casus Pagis obscurè emerserint, iure, non omnis laudatur, cuius in imo laudationum fonte, lubricum casus lutum, & fortunæ cœnum continetur. Verum similis honos non solùm iustus Marcello detur, sed amplissimis eius meritis verissimè reddatur, cum non tam lac lacti sit magis simile, quam Ceruinus virtuti, in quo à teneris anni lactescere prope omnis virtus visa est. Multorum aures optimo sermone de Ceruino complerę erant, & iam Romam vsq: affluxerat rumor quanto ipse officio, quanto ingenio, quot honestatus moribus, quanta bono-

bonorum copia florens, quanta existimatione septus, & munitus reluceret. Talis igitur Heros in quem virtutes ornatus suos omnes congesserant Romam profectus est, vt in ea Vrbe, quæ olim inter theatra, ac triumphos viuebat, rediuiuos in Marcello triumphos, ac theatra suauissimè contemplaretur. Agebat tum inter mortales, omni dignus immortalitate Paulus Tertius Farnesius, quo de Pontifice si quid loqui velis, ipsa eloqui addiscere debet Eloquentia. Hic ille Paulus est, cuius suauitate Romana Vrbs recens perdita, atq; afflicta exterorum excursionibus hilarata, atq; erecta suam sanitatem recuperauit. Hic ille Paulus est qui Romam ædificiorum exaggeratis extructis molibus ornauit templis religiosissimam speciem dedit, nec locus in Vrbe est, non sedes, non atrium, non vestibulum, non recessus in quo Farnesię Munificentiæ altissimæ impressa vestigia non reperiantur, in quibus locis Farnesiana lilia suos elysios non repręsentent. Hic ille Paulus est qui infinito auri pondere impenso Ottomanicam tyrannidem bellis frequentissimis infirmauit, elisit, euertit. Hic hic ille demum Paulus est, qui in grauissimis christianæ rei temporibus, non sine magnis toleratis difficultatibus Tridentinum illum sanctissimum Areopagum aperuit, & imprudentissimis hæreticis ex sacris literis multa quod essent, obscura, multa malitiosè ignorata, adhibitis doctissimis Episcopis quasi septuaginta Interpretibus in vnam eandemq; verissimam sententiam Spiritus diuini afflatu conspirantibus explicauit. Erat hoc in Paulo pręcipuè innatum (vt infinitis occurram) eo quòd ipse pręstantissimo

tissimo esset ingenio, studio flagranti, & à puero in Laurentij Medicei Academia artibus omnibus vberrimè instructus, conquirere vndique viros, ingenio peracri, doctrina eximia, litteraturà singulari, horumq; in primis delectari consuetudine, non vt illorum sapientię cote mentem suam acueret; quin potius, vt acutam, & sublimem alere inter sapientum familiaritatem posset. diceres doctos viros Paulo pro cogitationibus datos esse, dum nunquam aut sine sapientibus agere, aut sine Sapientia commendatrice operum agitare negotia consueuisset. Itaq; vbi primum Ceruini aduentum Romæ sensit, hominem benigne appellat, meminisse se Ricciardi parentis sui in Medicea olim Academia sibi amicissimi, eius se opera vti velle, in illum reclinandam esse tantisper Ecclesiæ administrationem, faustè fœliciterq; viuendum Ecclesię, si Pontifici Sapientissimi decreta per Accensum sapientissimum pronuncientur. Interim Alexandro Farnesio suo adolescenti nepoti secretorum interpres, ac internuncius adsistat, sibi fore curæ ne Ceruini tanti Pontificis pœniteat, ne vt ingratum Pontificem Ceruinus arguere vnquam possit. Hęc effatus hominem dimittit, quem Alexander veluti quendam ex annalium memoria, & è syderibus delapsum excipit. Et quia adhuc adolescens, prouida supra etatem etate nullis se irretierat erratis quibus plerumq; morosus animus redditur, & in aliena consilia minus versatilis, vt primùm Marcellum videt delicias suas, amores suos salutat, in Societatem victus, in familiarem sermonem, Alexander in Alexandrum Marcellum immittit. facilem hic mihi cur-

sum viderem Auditores, si obiectos declinare scopu-
los posset oratio mea, quid enim præclarius, quid diui-
nius complecti animo possum Marcelli Vigilantia stu-
dio diligentia? qui sincerior sermo? quæ saniora con-
silia? quę vberior scientiarum omnium notitia? quæ
solertior prudentia? in luce omnium viuebat, in oculis
omnium triumphabat, habitabat in animis, in Romę
totius admiratione suum sibi domicilium collocarat.
Erat in illo summa ratio, summus pudor, plurima or-
namenta, accurata mens, efficax memoria, litteræ pre-
stantes, exquisita cogitatio, fortitudo in periculis, con-
silium in agendo, industria in prouidendo celeritatis in
conficiendo, adeoq; cogitatam prudentiam ad Farne-
sium intulerat, nunquam vt angustius vrgeri, neq; in
difficultates delabi, neq; negotiorum magnitudine vt
tempestatibus obrui videretur, imo licet periculoso, &
scopuloso in mari inter agendum aliquando versare-
tur, negotia tamen omnia. Prudentię veluti certissi-
mæ Cynosurę aspectu ad optatos exitus, ad tranquil-
lissimum portum perducebat. Sed in ijs administran-
dis nihil in eo sordidum, nihil humile, nihil abiectum,
nullas versutię aut fraudis reliquias collegisses, Natus
in virtutis luce, educatus in moderationis complexu,
corroboratus in Sapientię Maiestate, tantum artis, &
efficacitatis habuit in Aula, quantum nec homini fas
esset oportare nec optanti credere facilè fuisset. Ami-
corum studia omnia tenebat, voluntates arripuerat,
gratiam possederat, spes obligauerat, suam seruitutem
omni beneuolentiæ genere innatam nutriebat. Ma-
xima [illegible]

[illegible]

putare,ſtultoſq; aulicos illos tenere qui in omnem aſſentationem eruditi, ad excitandam in ſe principium virorum Amoris flammulam adulationis flabello animos euentilant ac permulcent, auribus ad voluntatem inſeruiunt, & ſimulationum inuolucris egregiè adumbrati ſingulari, libidine honoris lumen appetens ſemper in eodem laborant; modò nobiliſſimum quemq; inueſtigando, adeundo, honorificè appellando, ſiue audacter, ſiue impudenter hianti, & imminenti honorum auaritia honores inſectando nunc arte ſolertiſſima, & malitia admiranda indagare odorari Principum animos, attentare & ex vtraq; parte librare, facultates & rei familiaris expletam lacunā totam in muneribus dandis exhaurire, nihil intentatū relinquere, quoad iſti ambitionibus oībus exerciti candidati honoris magiſtratum nanciſcantur. Hic verò Vir virtutum eſca, honores ſibi expiſcando, breui nominatur Apoſtolicus Protonotarius notaret non tam vt aliorum geſta, quàm ſuos honores perpetuò firmaret; & in prima hac Sacerdotij Aedilitate ampliſſimam ſibi laudationum ſic vt ludorum magnificentiam aperiret. Accidit tunc temporis res non negligenda, quæ, quaſi dies, latius aperuit Ceruini animi ſpeciem, & ornatum. Caroli Quinti coniux (quem Imperatorem romanis illis paludamentis non parem modò, ſed longè magnificentiorem ſua ſingulari virtute fuiſſe contendo) ceſſerat è vita. Paulus ad clariſſimum Imperatorem conſolandi gratia, &, vt ſi quę in illo eſſent dolorum ſollicitudines alleuarent, Alexandrum nepotem tranſmittit, cuius in muneris partem Marcellum etiam adiungit, qui

& cum Alexandro communem curam suscipiat, operam sumat negotium conficiat. quam iste prouinciam ita sustinuit, vt in fine colloqui Cæsar ad suos versus, nihil se Marcelli aspectu grauius vidisse, nihil oratione illustrius audisse, nihil grauitate, & modestia compositius suspexisse se vnquam fateretur; Essent sanè mihi hac in re tam eximia tali cum Rege peracta altius explicanda vela Orationis, nisi ad alia longè etiam nobiliora, nisi tanta tam multiplex hominis Virtus veluti Auster aliò euntem inuitaret. Romam vbi rediit, Paulus degustata Ceruini Prudentia bene potatam habere voluit, itaq; penitus dat se in illis consuetudinem nullumq; tanti momenti negotium est, quod non ab istius præclarissimi viri aut autoritate firmetur, aut sustineatur prudentia. Maxima erat Paulus animi fortitudine, & obfirmata suis in cogitatis constantià, & quod infinitam penè rerum seriem vasto infinitoq; agitaret animo, accidit non semel, vt ad Ecclesiæ vtilitatem valde ardua, & humanis viribus imparia anxie concupisceret. Quare Ceruinus quem sollicitudinum socium, omni cogitatione coniunctum, consiliorum etiam autorem non spernebat, occurrebat vltro, tam sublimem mentem, modesto suo consilio mitigabat, in qua fœlicitate M. Marcelli Consulis fœlicitatem superauit, hic enim gladius romani imperij, & Q. Fabius Max. scutum vocabatur, quod alter feroci magnanimitate, matura alter fortitudine Pænarum causam iugularet. Noster vero Marcellus vbi celeritate opus erat, industriam omnem fœlicissima diligentia superabat, vbi negotij grauitas agentem retardabat,
nullum

nullum feueriorem iudicem in concidendis, ac delumbandis temporum momentis reperisses. Quibus rebus eo amoris prouectus est Paulus erga hominem tam graui iudicio, tam mirabiliter prudentia excellentem, tanta probitate, fide constantia mirabilem, illi vt proximo suum conclaui domicilium ad quietem assignauerit cum his mandatis, vt cum primo diluculo Paulus signum, ex condicto dedisset illico ad lectulum accurreret, quid in diem agendum esset vnà consulerent, Ceruinum Solem recumbentes Farnesij flores faustè fortunateq; salutarent, neq; verò idcirco mirari incipiamus, Auditores, quod sapientissimus, ac prudentissimus Pontifex iudicij sui minimè prodigus tam cupidè tam amicè priuati ferè hominis prudentiam expetierit, tanti fecerit, tantùm vti voluerit. non erat à tanta dignitate alienum, quod fuit semper dignitati proprium. qui multos regebat à multis regeretur par erat; ipsi Agamemnoni, vt aiunt, Regi Regum, fuit honestum, gloriosum fuit habere aliquem in consilijs capiendis Nestorem; multò etiam fuerit gloriosius experientissima consilia ex alumno Farnesiæ disciplinæ Farnesio percipere potuisse, & si Iuppiter Vnus, vt est in fabulis, qui Deos omnes moderatur ac regit, magnis de rebus decreturus Deorum Senarum cogit, suffragia exquirit, calculos boni facit, cur non etiam pręclarissimum fuerit Pontifici Summo Ecclesiæ Terrarumq; Ioui Sapientissimo à suo grauissimo Senatore, postulare sententiam, in eandem opinionem cum omnium vtilitate, & gloria honestissimè peruenisse?

Ma-

Magnum igitur erat ita diligi à Pontificis Nepote, quanto magis ab ipſo Pontifice, quantò etiam maius ab vtroq; qui ſi hunc priùs amare, poſtea tandem diligere videbantur. Videbant hominem non honorum nomine, ſed honoribus digniſſimum, videbant in tam prudentem, tam religioſum, tam moderatum omnia dignitatum genera conferri oportere Minùs ad tantæ prudentię culmen, minùs ad tanti Pontificis animum pertinebat, talem virum latere in tenebris, non ſapere in Romana aula cum Tyreſia, ſed vmbrarum more ſine ſpecioſiori titulo vagari, turpe erat præeuntibus meritis humi ſerpere, nec ire quo illum ſua trahebat virtus, humilis, & obſcuri erat nullius fere ordinis eſſe, hęrere in primo dignitatis gradu, qui ſplendor omnibus ordinibus, ornamentum Aulę, dignitatum celeberrimus Signifer eſſe potuiſſet. Quare renunciatur Neocáſtrenſis Epiſcopus, & poſtera creſcens laude recens, nulla Senatus conſulta, nullæ leges ſine huius Epiſcopi conſilio à Pontifice fiunt, tantum quiſq; habet priuilegij ac beneficij, quantum Antiſtitis prudentiſſimi aut conſilio approbatur, aut voluntate permittitur, omnia in illius prudentia, & moderatione vertuntur, & medius hic Antiſtes inter Paulum, & Pauli Nepotem, tanquam inter fortiſſima brachia pectus integerrimum, excelſioris ſuæ prudentię motu aut opera mandabat, aut cohibebat. Dies me ac latera deficerent Auditores, ſi qua gloria pręſtiterit in grauiſſimis, & frequentiſſimis negotijs apud Paulum Marcellus verbis explicare poſſem, quod cogitatione attingi vix poteſt; ſed vna in re cui ſumma omnia tribui poſ-

 ſunt

ſunt velúti ripis coercitum tantum Prudentiæ flumen contemplemur. Profecturo Ceſari ex Hiſpania in Belgium, vt viarum longitudinem vicinioribus prouincijs anteuerteret per Galliam iter facere conſilium erat. Vbi furtim id Pontifici renunciatum eſt, Alexandrum Nepotem cum Marcello alijſq; nobiliſſimis permultis in Galliam mittit Legationis nomine, qui vno eodemq; tempore ad congreſſum colloquiumq; perueniat tanti Regis, & Imperatoris; quorum alter, quæ ad occaſum ab ortu Solis ſunt regere ſapientiſſimè; alter illis imperare ingenij amplitudine, autoritatis terrore fœliciſſimè potuiſſet. Mediolanum peruenit Farneſius, inde in Pedemontanos tractus proficiſcitur; hic vrgere & egregiè ſibi metuentes premere omnes vna ſollicitudo cœpit, ecquid tandem futurum omnibus ignota legatione? quam longè de Farneſię, atq; adeò Pontificię dignitatis recedendum ſi legationem perficerent de qua ne nomen quidem apud reges illos perueniſſet, nihil ampli, nihil excelſi habere certiſſimam autoritatem, dubiæ, & incertę fortunæ obijcere voluiſſe. Suauiorem eſſe vnam apricationem in Villici tui Sole, quam per non amicum, & quidem totum regnum in annos multos miti Sole colorari, non eſſe ſerendum in ſolo quod non prius colueris, fruges enim non feret. omnes itaq; in hanc ſententiam veniunt fit ſtrepitus, grata redditur admurmuratio, domum eſſe reuertendum, redeundum Romam. Vnus Marcellus tanquam optimus Gubernator deſperationis Euripos, timiditatis ſirtes euitans clauum tenet exclamat, implorat hominum [illegible], cura, diligentia, vigilantia conſilio

[illegible]

caritur, nihil pretermittit quod ad suam fidem, ad Farnesiam dignitatem pertinere arbitretur, rogat, prædicit, denuntiat, non sine maximo Pontificis dolore legationem relinqui posse, suadet esse progrediendum non tamen effusè fugientium more, sed quantum strigoso equo in diem iter solet esse, fore enim inquit breui vt Reges auditâ nostrâ ad illos accessione vltro discedant, & nostrum remissum atq; cogitatum iter illorum celeri festinatione compensetur. Marcellus tandem auditur, seu potius Paulus ipse, quam personam in illo impositam omnes propius venerabantur; & quidem non nisi diuino consilio id factum esse ostendit euentus. Vix lentis itineribus secundo lapide à Gallorum finibus distabant, cum Rex, & Cesar de Farnesij aduentu admoniti mittunt è primo nobilitatis flore principes viros Dynastas, qui suo nomine Cardinalem in regnum inuitent, Reges de illius aduentu maximo gaudio, & gratulatione frui. à Regia triumphum suum expectari si intra duos Reges Pauli etiam in Alexandro effigies suspici possit.

Itur in regiam fiunt tot hominum concursus, tanta totius Galliç frequentia, tanta pompæ celebritas tantæ à regibus beneuolentiç significationes, quantas regum potentissimorum maiestas, & Summi Principis inopinatus aduentus postulabat. Singularem quandam hic laudem maxima, & exaggerata Ceruini Prudentia exigeret, Auditores, si his terminis clauderentur, neq; emersisset latius multiq; sunt vnà in re ornamentorum gradus, si in singulis velim insistere progredi vltrò difficile possim. Sed reliqua audiamus. Mittitur iterum in Bel-

in Belgium ad Carolum Nuncius Apoſtolicus cum eodem Legato Alexandro, qua in cauſa ita ſincerè, prudenter, caſtè, integrè verſatus, vt Roma abſens Romam ſecum habere, Roma longe diſſitus, Romæ triumphare videatur. Etenim Paulus grauiſſimis prius verbis Ceruinam prudentiam laudibus efferens in frequentiſſimo ac celeberrimo Patrum conſeſſu conſenſuq; Marcellum renunciat Cardinalem cum titulo atq; immortali inſigni Sanctę Crucis in Hieruſalem; pacem nempe mortalibus laturus erat Marcellus, qui ſeueriori vitę diſciplinà victurus, & quaſi Crucis alumnos mores erat mortalibus omnibus exemplo ſanctiſsimo propoſitus. Igitur creatur Cardinalis in itinere Pariſijs. ſ. Gallorum aureis, & farneſij ceruleis lilijs Marcelli purpurà erat aſpergenda, & vt ſummus cumulus ad dignitatem accederet, obortis repente occaſionibus è veſtigio Romam reuocatur Alexander, & Marcellus magno legati nomine, magna ſpecie, magna maieſtate legationis Alexandri loco ſufficitur. Quid hìc potius admirer, Auditores, an Marcello longè à domo decretos magiſtratus maximos tanta Pontificis voluntate, tam ſecundis omnium acclamationibus, quid ſi domi fuiſſet, ſi triumphalem illam ac theatralem prudẽtiam romana inter theatra circumtuliſſet? an Sanctiſsimæ Crucis diuinitus illi deſtinatum ſignum, in quo vincere non modo Chriſtianorum animos, ſed hęreticorum formidoloſiſſima capita exterrere, expugnare, in Tridentino Concilio debuiſſet. Et quoniam de Tridentino Concilio mentio facta eſt, non erit opinor, vobis ingratum Auditores, ſi in illud ſalutatura

tantum,& suspectura sedentis Ceruini maiestatem nostra ingrediatur oratio. Serpebat latissimè venenum immanissimi, ac fœdissimi monstri Lutheri, cuius nomen prętet lutum tætrum pręter vitium, ac pestem sonat nihil; vt quemadmodum in Pandoram Dij certatim omnia pulcritudinis ornamenta, prò se quisque congessisse perhibentur, ita in Pedorem hunc infamissimum, scelera flagitia, sacrilegia omnium turpidinum maculas, & dehonestamentorum genera consputarunt. Hic ille Lutherus est, si nescitis, (vtinam sciret nemo) religionis transfuga, in sacrosancta Pontificis statuta Ferentarius, corruptæ pietatis Centurio, impudicitię Tibicen, sacrilegorum Stationarius, Hęresis Tesserarius, turpidinum Pręfectus, vitiorum Quęstor, Signifer infamię, flagitiorum omnium Dictator perpetuus. Desertor Dei, Dæmonum Desertum. Paulus cui Ecclesiæ pudor, ac pudicitia cordi erat in primis, non poterat æquo animo ferre relicta à Luthero in Ecclesia decus quotidiana errorum adulteria meretriciam viuendi disciplinam, quibus in dies latius Lutherani multos in sua impudicitię castra transcribendo virtutem omnem summo cum Christianæ rei decore polluebant, & quia Lernæa hæc hæreticorum hydra, licet hinc inde à sanctissimis viris fulgentissimo veritatis gladio excindebatur, renascentia tamen continuo capita geminabat, ideo co hauriendus erat è Pontificia autoritate tanquam è cœlo Ignis qui tantam audaciam nequitiamq; singularem deprimeret, extingueret daret pessum. quapropter indicit Tridenti Concilium in quo Ecclesiæ dignitatem contra hæreticos tueretur

retur

retur non armis ſed pietate, non copijs, ſed multorum doctrina, non opibus ſed diuina ope, non deniq; ferro ac cęca Martis fortuna, ſed vinculis illis quibus quod deuincit in terris, in cœlo etiam ligare ſuo iure poteſt. Legatos ad eam rem eos ſecernit, ſine quorum præſidio ſtare res chriſtiana non poſſit. primo declaratur Io. Maria de Monte qui ſuæ virtutis præmio, in demortui Pauli cura ac regno ſucceſſit. quem alium expectatis Auditores quantis circumfluere, & abundare debebat pręclariſſimis animi dotibus, quis diuinitus iam Eccleſię Conſuli deſignato Collega Conſul in tanta Legatione adiungatur? in promptu eſt Marcellus Ceruinus, qui à Iulio Tertio primus regnare debebat legatus cum futuro Iulio Tertio in Concilium mandatur, vt non niſi optimè de Chriſtianà cauſa ſperari poſſit, quando tres fere Pontifices Maximi ius dicunt. Quod ſi fatale ad chriſtianæ reipublicę ſalutem fuit Tridentina Synodus, fatalis etiam fuit in eadem Synodo Marcelli Legatio, quæ tanta pertulit tanta deuorauit, tantis ſe expediuit iniectis difficultatibus, vt niſi ſeueritatis ſuę ſpiculis Alpes vſq; ſcrutatus eſſet, nunquam tot Ciſalpini cum Eccleſia in gratiam redeundo triumphum Eccleſiæ peperiſſent, & niſi Marcelleus hic gladius romanę religionis impetu, & terrore vſus eſſet, hæretici velut Pœni crudeliſſimi nimis fortunate infortunium Pontifici attuliſſent. Hic conſacratus fuit campus Ceruinæ autoritati, fidei conſtantiæ, hic circumſpicere omnes quę impendebant procellas hic ſe paratiſſimum contra hęreticorum fraudes adornare, hic improborum fucata ſtudia quà ſeueritate declinare, quà huma-

nitate anteuertere, hic prò Ecclesiæ commodis ad periculum accedere hic operam pertinacem, obfirmatum laborem, studij perpetuitatem interponere, hic præclarissimum sibi, ac pulcherrimum ducere bonorum commoda suis venari incommodis, non modò non inuitus, sed libenter molestias appetere, bellum sempiternum cum nequitia, & fraude suscipere, tantam in rebus omnibus diligentiam, tantam virtutem, tantam doctrinam, tantam prudentiam Iustitiam preseferre, quantà quoad erit hominum genus sermonibus aletur, laudationibus crescet, litterarum monumentis corroborabitur, nullis nisi Vaticani illius ęternis imperij finibus sepietur in Capitolium Pontifex creatus ascendet Ceruinus, & improbi etiam quem antea oderunt eius autoritatem verebuntur, sequentur iudicium, vim pertimescent, admirabuntur sapientiam, prudentiam suspicient, vitę integerrimę sanctimoniam prædicabunt. Habuit quidem habuit Romæ vbi ostentaret pręclaram sui prudentiam, quà per omnes honorum gradus elatus Pontificatus fastigium suis de bitum meritis, omnium bonorum concupitum votis adeptus est. Cognoscite cognoscite Auditores ex particula parua consilij, & Ceruinę prudentiæ genus vniuersum, generatim ego ea quę maximè nota sunt proferam. Quid exponatur eius domus, & domicilium honestate fultum, honoribus munitum, stabilitum modestia, omni decorum genere decoratum. Quid eius Abstinentia? non modo quæ iucunda putantur ordinarijs cupiditatibus subtraxit, sed pascenti etiam naturę, & imploranti necessitati denegauit. Quid pruden-

dentia? quanta cum dignitate, quanta ratione, quanto cum ordine res suas perpoliuit. Quid autoritas? quam magnificè quàm grauiter, quàm sæpe à Cęsare à Pontificibus summis laudatus est quacunque iter faceret per Hispaniam, Galliam, Belgium, Germaniam non incredibilis modò concursus ex agrijs, ex municipijs ex colonijs, ex vicis, ex domibus fiebant, sed suo penè aduentu quà nunquam antea visa, enasci, quà extincta semel reuiuiscere iterum Iustitia, Clementia, Mansuetudo videbatur. Quid humanitas? nunquam acerbus fuit, nec paulò quidem tristior ac seuerior nisi cùm Christiani ordinis causa postulabat; neque enim in coutrouersijs multorum iudicandis, à multis diligi facilè est, neque in omnibus ęquè terrę partibus eodem lumine Sol nitet; nam si temperanter in montibus luceat, in vallibus idem tamen ęstus repercussu, denigrat, & succendit. Quid Sapientia? à Iulio Tertio Vaticanæ Bibliothecæ creatus Præfectus diligentior ne, an doctior fuerit ignoratur, dum opimis pręmijs propositis multa ex Gręcis voluminibus in latinum verterentur curauit, ratus, vt credo, si cum Græcis patribus latini consuetudinem haberent, gręcam sibi quoque sanctimoniam mutuarentur. Quid Pietas? religiosis familijs Augustinianorum, & Seruitarum Protector vigilantissimus pręfuit, Religiosissimam animo de omnibus imbibit opinionem, religiosorum causas quasi aurum sic tractando, vt si minus auri pręcium, colorem certe auri sumeret.

Quid

Quid diligentia atq;industria?cibus an ipsi fuerint libris an ipse libris cibus in incerto est. certè litteris sustentabatur, recreabatur, & inter labores assiduos, & quotidiana aulæ occupationes abdebat se in bibliothecá nusq̃ magis à publicis negotijs feriando, quàm cum inter multiplicem voluminum copiam librorum sibi quasi nundinę haberi viderentur. Legerat de Philippo Macedonum Rege in maximis præliorum difficultatibus implicato à liberalibus musis numquam abfuisse, & in castris suis non minus excubasse belligerum Martis terrorem, quam Palladis litterariam mansuetudinem statiua tenuisse. Quid fides? tot grauissimas legationes insuper Neocastrensem Eugubinum Episcopatum accepit tantà animi curà, tantà industria, & integritate tractauit, vt ad nullam rem aliam nisi ad officium integritatemq́; eius curę vigilię cogitationesq́; laborarint. Et erit quisquam tam impius rerum ponderator, tam plumbeus, tam excors qui virtutum summam, dignitatum fastigium, ornamentorum apicem disciplinarum robur sapientię florem, Iustitiæ formam, autoritatis imaginem in Ceruino fuisse non fateatur? Nullius credo erit tam perturbata ratio, nullius tam refrenanda libido, nullius tam dissolutū consilium, tam intoleranda mens, tam turpis animus, nemo ad tantam stultitiam nequitiamq́; peruenit, qui inuidiæ impetu officij, & veritatis repagula perstringens, deneget in Marcelli animo fuisse domicilium virtutum Iustitiam assedisse, Prudentiam suscepisse causas, summam totius imperij Pietatem tenuisse. Ab hoc nimirum Vaticani Sacerdotij fonte in terrarum

tractus

tractus omnes vitæ probitas, legum norma, morum effigies, mansuetudinis elementa, seueritatis robur, sanctitatis disciplinæ promanarunt. Quæ Sanctitas in tertium cadit orationis meæ caput dum cum Iustitia, & Prudentia in maxima pietate, ac religione, Marcelli quanta fuit ętas beatissimæ fœlix adoleuit. Et quidem in omne argumentum pietatis, & sanctimoniæ compositis, atq; effectus eluxit Marcellus, nec primam tantum cutem, & speciem quandam fucatæ modestię, & eruditæ simulationis; sed sanguinem ipsum ac medullam recti introspicere seque intra accipere desudauit. Vbi primùm in vitam, ac lucem susceptus est, res accidit non sanè spernenda neq; enim cantilenis vt assolet, & delicatioribus in canendo flexionibus, neq; crepundijs adduci poterat, vt vigilans lac sugeret, sed dormitans tantum, & quasi somni pręstigijs lacte alebatur. facilè vt arbitror iam inde augurabatur naturæ voluptates quas vigilantes, & effrenatis animi motibus indulgentes insectamur acerbas esse, nec nisi cuiq; turpissimo capienda, ingenuas verò oblectationes putabat esse liquidissimas superùm voluptates, diuinarúq; rerum cognitionem quam contemplantes, & veluti à concretione corporis seiuncti in Deo mente sopiti, ex Deo haurimus. quà cognitione terrenarum rerum anfractus euitando in veritatis, atq; innocentię tutissimo portu respiramus. Nihil igitur fuit illi pręter pietatem dulce, nihil præter Innocentiam suaue nihil pręter sanctimoniam gloriosum, nullo alio nisi religionis lacte enutritus, corroboratus, adultus, nouus veluti Hercules ex diuinis vberibus epoto amoris lacte, lacteam sibi

viam

viam in cœlum inſperſit, & multis veluti ſideribus intexuit ſibi Galaxiam ſanctitatis. Finge quid magnum ſi potes, in quod aut Ceruina non peruenerit Pietas aut non acceſſerit. Mediocria illa ſunt, & vulgaria, mores facillimi, pietas erga ſuperos; benignitas in ſuos, Iuſtitia in omnes, integritas in clientes, liberalitas in afflictos, diem vt ita dicam caſtè honeſtèq; tranſegiſſe, ipſi antepóſuiſſe immortalitati. Illo illo autore, ac duce recreata continentia, recuperata pudicitia, ſedatę cedes, diſcordię repreſſæ, aucta religio, reſtituta fides, propagata pietas, fundata veritas, diuinus cultus ſtabilitus amata parſimonia, frequentata temperantia, dicam planiùs illius ſeueriſſima in primis conſtantia, vitiorum regnum exhauſtum, ſcelerum prouincię exinanitę, hereſum arces direptę, diſcordiarum domus euerſę, lacerata improbitas, exciſa ſimultas, exterminata crudelitas, diſſipata malitia, turpiſſima monumenta adulteratę religionis deturbata, comminuta, afflicta, diſiecta, ſpoliati homines vitijs, à Demone ſubducti, virtutibus ornati homines Deo ſanctiſſimè conſecrati. Quæ cum ita ſint non vereor quin aliquis audito Ceruini nomine eius quoque honeſtiſſima facta ſuſpicere poſſit, mihiq; magis timendum ſit, ne multa maxima cum pietate acta pretermittere, quàm ne qua in iſto excogitare exiſtimer; non ingenium mihi credite ad eloquentiam, non eloquentia ad oſtentationem, non ad vtrumque puerilis quedam temeritas connitetur. Sed quę dicentur adeò veritati amica erunt, vt veritati potius eloquentia, quam eloquentiæ veritas defuiſſe videatur. Age igitur quid dulcius Natura homini conceſſit

ceſſit quam ſuos cuiq; affines, cognatos conſanguineos? quid ſuauius homini humanitate datum eſt? ſi qui verò non ſanguinis modo affinitate, quam ſapientiæ cognatione copulentur; ſi generis excellentiam ingeniorum excellentia exæquet, qua tandem voluptate recipendi erunt, quà beneuolentià amandi, quibus beneficijs nutriendi? Res familiaris, & domeſticę fortunæ eo plus voluptatis afferunt, quo vberiùs affluunt, & quo celebriores ſunt, eo illuſtriùs quemq; perſtringunt. deniq; ordo, dignitas, ſplendor, conſuetudo quantum delectet, vel hinc intelligi poteſt, quod in ijs honoribus conſtituti de vita decedendum potius quam ex ijs tantiſper recedendum eſſe arbitramur. At Marcelli animus tam pius, tam ſeuero ſacramento pietatis legibus adſcriptus vt Alexandrum, ac Romulum germanos fratres perfecta iam ętate adoleſcentes, & ſpectata Sapientia, ac ſingulari pietate cognitos, tenuiſſima pecunię aſperſione enutriuerit, quin etiam Pontifex creatus per epiſtolam ſeueriſſimè admonuerit ne quis è nepotibus Romā veniret, & oblatas ſibi gratulationis noīe cū muneribus opimas ſignificationes oīno reſpuerent, vt ſi Marcellum ſeueritatis velis reprehendere, nullibi magis q̃ erga ſe ſuoſq; ſeuerum iure deprehendas. In pecunijs verò quem magis ſobriū, ac temperatū reperias? plane vt ipſe reginam rerum pecuniam regere, nō ab ipſa regi videretur, in impēſis faciendis frugalitas ſumma, sūma lex, sūma religio, sūma decori exiſtimatio, quin verò in magna inopia rei pecuniariæ cum Paulus illi apud Cęſarem opimum reditum, ideſt decem mille aureorum annuam penſionem procuraſſet, inſolentem veluti;

& impudentem censum auersatus Ceruinus libentissimè constantissimèq; recusauit. In dignitatibus ipsis nihil prçter ocium minus dignum putauit; ex honorum constructo à se mellificio prçter curarum thimum & sollicitudinum amaritiem degustabat nihil, magnos atq; vberes quæstus ex dignitatum fundo, si illum laboribus, ac negotijs exercuisset percipiebat; Mirà demum modestià, & continentià in magnis ordinibus is vixit, cuius voluntas, ac ratio ab omni fastu, atq; ambitione longissimè abhorrebat, nulla fuit prouincia, nulla Ciuitas, per quam iter faceret Ceruinus, quæ non in sui admirationem effusa publicè priuatimq; maximam vndiq; letitiam excitaret, cum ad illum veluti ad Aram legum, ad Iustitiæ Asylum, ad Veritatis cortinam, ad sanctimoniç sanctissimum penetrale, ad Integritatis adytum, ad communis præsidij sacrarium confugere se posse existimarent, vnde illud etiam fiebat vt in homines probitate insignes, ac virtutibus nobiles, insignis planè Ceruina benignitas, ac nobilissima beneuolentia reluceret. delectabatur, scilicet Ceruinus mirum in modum optimorum virorum consuetudine, horum frequentiam adamabat, hos ad suum numerum libentissimè adscribebat, his eius patebant aures, in istorum familiaritatem penitus intrare flagrabat, in istos omnia sua commoda, iura, beneficia priuilegia seipsum omnino transferebat, & quamuis felices esse sibi viderentur omnes ij quibus præerat Marcellus, bonitate tamen insigniti perbeatos se ac fortunatos prçdicabant. Admiramur luminum fontem Solem, curiosum, & plenum negotij principem, cun-

cta

cta moderantem, cuncta ad se pertinere spectantem, hic autem vbi viciniora loca luce perstringit sua, mirum quam beatos illorum locorum populos, ac felices reddat. Multi istos impendentium nubium metus exterrent, nullæ excedunt ægritudines, multis incitantur ad hilaritatem opibus, incredibili deliciarum affluentia viuaces, ac florentes viuunt. Quare Insulæ illæ quibus Zona torrida impendet, idest, quæ ipsum ferme Solem attingunt, fortunatarum nomina retulerunt. videlicet in ipso nomine felicitatem legere est quam Solis vicinitas inscribit radijs suis vicinis suis. Ita planè in re nostra, Auditores, Ceruini beneuolentia, & patrocinium, nulli magis proximum erat, quàm honestis, & Religiosis hominibus, Insulis nempe è communi vitiorum confinio secretis, istis tanquam Zona torrida impendebat hos propius complectebatur, in istorum fœlicitatem augendam, vigilantia, tutela, beneficijs totus excubabat. Nemo illi tamen tam consentientibus sensibus fuit quàm Ignatius de Loiola, is qui Societatis Iesu autor ac fundator Sanctissimus fuit; in hoc spem omnem delectationis suæ positam alebat Marcellus, cum eo inerat illi frequentissima, ac suauissima sermonis communicatio, sine huius excellentissimo consilio, non labor, non requies, non negotium non otium, non res forenses non domesticæ, non publicæ, non priuatę, gratę illi esse potuerunt, & sicuti Marcelli prudentia Paulo in tractandis negotijs bracchium erat, ita Marcello Ignatij sanctitas, & autoritas mens, & animus putabatur. Leguntur Epistolę quamplurimæ vltro citroq; alterius ad alterum transmissę, in

quibus quid iustè cogitandum, quid magnificè agendum, quid prudenter tractandum, quid forti animo sepeliendum sit, quid familiarissimè transigendum, deniq; cum pudore, grauitate, moderatione, integritate, fide, beneuolentia, agendum reperitur. In Tridentina Synodo Iacobus Lanyes, & Alphonsus Salmeronius è Societate Iesu Apostolicæ Sedis Theologi præerant, quos, vt pote Ignatij Socios, ita tractauit Ceruinus Legatus, ita oculis animo complexu tenuit, cernere sibi vt in illis Ignatium videretur. Scitum est illud, quod prouerbij loco circumferetur, condimentorum omnium suauissimum esse ignem, quarè Ceruinus ex huiusmodi socijs Ignatij tanquam ex igniculis ex Ignatio decerptis condimentum negotijs suis oībus suauissimè vsurpabat. Accidit aliqñ in colloquio, vt Ceruinus, atq; Ignatius post multiplices insertos sermones, in Societatis mentionē delaberentur, aiebat Ceruinus Ecclesię feracia Sacerdotia ac splendidiora Episcoporū vocabula conferenda vel in primis esse in hoīes permagnos, natura ipsa moderatos, doctrinà, atq; optimarum artium studijs eruditos quiq; demū pręesse potestati posset non quibus præesset potestas. Quamobrem nihil fore Ecclesię salutarius, nihil oīum cōmodis vtilius, nihil Societati magnificentius si ex ea (in qua enata pietas cum maximà litteraturà radices inseruisset) tanq̃ ex generosa pullorum sobole Galli legerentur, qui sobrietate industria, vigilantia suam oēm curam cogitationemq; in popularium suorum salute, ac fœlicitate collocassent; se quidem iam dudum esse in ea sententia, curaturum pro virili parte vt è Societate quo plures eo

le

se gloriosius triumphaturo letitia, in Episcoporum numerum perueniant. Hic Loyola nullum pretermittens officium veri, ac prudentissimi Imperatoris ostendere actum fore de sua legiuncula, si primipili, hastatiprimi alio deficientes transcribantur: neque verò honorum lautitia saginandos esse illos homines, quos paupertatis atq; indigentię ob Christum succensa cupiditas ex ipso honorum ac dignitatū gremio abstraxisset. Cæterum primùm nascentes ac serpentes riuulos, non nisi minimo sono labi oportere. Hunc in modum re disiecta disputandi finem faciunt, disputationem hanc multis deinde aperit Ceruinus affirmatq; fuisse oĩno oppressas fauces defensionis Ignatij, nisi eius vna tantumodò autoritas respirasset. vtrumq; suam causam perorasse se quidem rationibus illum autoritate, cedant tamen seu potius pareant eius autoritati rationes meę, cū istę plerūq; ex humano illa ex diuino ferme fonte profisciscatur. Tanta deniq; ei fuit obseruantia erga Ignatium eiusq; patres omnes Societatis Iesu, isti vt apud illum non modò Iesu nomen, quàm rem ac numen tenere viderentur; nec primùm Pontifex acclamatus fuit, quàm Ignatio eiusq; socijs quotquot Romæ numerabantur ad se ascitis, vbi de more post pedis exosculationem fausta illis bene dicendo precaretur, hęc in verba prorupit. Tu bellatores propone, nos disponemus. Venit in mentem somnij illius, quod instinctu, atque afflatu diuino accidisse sacræ litterę testantur. Dormienti Iosepho visi sunt in agro fratrum manipuli cernui, ac in venerationem proni suum erectum manipulum adorare honoresq; diuinos preseferre.

Iterum

iterum per quietem idem vidit eamdem in se religionem, ac decus à Sole Luna, ac vndecim stellis declarari. Horum Oraculorum veritas regnum quidem Iosepho, non nisi tamen per futuram à fratribus suffragationem insidiarum, & intentatæ mortis discrimina portendebant. erat id quidem presagium summi splendoris quem illi Ægiptus pollicebatur, sed huic lumini, fortunæ altitudini quasi cœlestibus quadrigis vehentibus transuersè incursura erat calamitas fratrum, inuidiæ motus longè omnium acerrimus, & postrema maleuolentia, quę deinde insonti Iosepho tot periculorum fluctus, tam periculosam mortis procellam excitauit. Quis gentilitum Ceruini manipulum, ac spicarum insigne fasciculum ignorat? cuius aut oculos aut aures Cerua illa inter ternos spicarum manipulos cubans præteruolat? Erigitur enimuerò hic manipulus in Pontificium numero consecratur Marcellus, adsunt Ignatij socij quasi supplices manipuli, Marcelli venerantur Manipulum, loco numini reuerentur, atq; adorant, quid ni omnes Iesuitę id agerent quod omnes ordines orbisq; vniuersus Marcelli manipulo deinceps, sed paucissimis proh dolor diebus exhibuit. Adornat interim, & instruit Marcello mortis inuidia ingrauescentem morbum, mors mortem parat, & vix in gloriarum viam ingressum Marcellum marcens lues polluit, vt vestigium vltro faciat prohibet, iubet vt cadat. Cecidit quidem ille, non tamen dices idcirco Societatis in Ceruinum obseruantiam aut Ceruinorum in Societatem beneuolentiam concidisse; etenim non multi dein circumacti sunt anni cum Ricciardus Ceruinus, &

Robertus Bellarminus, alter ex fratre, ex forore alter Marcelli nepotes Societati Iesu nomen dederunt, vt quoniam Marcellus Societatis, vt ita dicam Dictator humanissimus excesserat, ipsi nepotes duo veluti Consules suffecti sanctitatis nota insignes, & sapiētia singulari conspicui, nunquam intermorituram Auunculi memoriam legitimi tutores stabilirent. Theodosius clarissimus, ac religiosissimus Imperator cum tamdiu imperasset, quamdiu bene beatèq; imperasset, cessit è vita duosq; Augustos filios Archadium, atq; Honorium reliquit, qui defuncti parentis viuentem spirantemq; in se expressam imaginem sanctissimè, atq; honestissimè actà vità propagarent, & quòd ex defuncto Theodosio quasi ex extinctà prȩclarissima voce populis omnibus expirauerat, id in Theodosij geminis filijs quasi in geminati repercussus Echo populares omnes exaudierunt. Ita planè triste desiderium autoritatis, & beneuolentiæ, quod extinctus Marcellus Societati reliquerat, id in geminis nepotibus Roberto, & Ricciardo placidissimè consedit dum non solùm Auunculi germanam pietatem in se ipsis expresserunt, sed illius etiam erga Societatem ipsi in Societate beneuolentiam tutelamq; renouarunt. Verùm vt diuinis testimonijs potiùs, quam nobis dicentibus adhibeatur fides, illud memoriæ prodamus quod in Lauretana Aede contigisse Ceruino Lauretana affirmat Historia, quà in re gloriosam, ac memorabilem illus pietatem apertissimis argumentis æterni Mater filij comprobauit. Iulio Tertio Pontifice, vel forensibus fractus laboribus, vel diuturnis negotiorum molibus debilitatus,

tus, vel ad omnium sibi suauissimam quietem inuitatus Marcellus, ad Montemfanum in Piceno se recepit, eo consilio, vt Lauretanę Virgini propior ex eo Monte pietatis egregiâ vigilantia Virgini excubias faceret, vel eidem Virgini cui se iam totum penè adolescens dicarat, beneficiorum, ac perpetuę tutelę reus votiuâ ibi quasi tabellâ penderet, atq; vt vicinitas frequentem opportunitatem dabat, accidit vt rem diuinam ibi faceret, interq; sacrificandum (res creditu ardua, nisi multorum oculi facilem illi fidem pręstitissent) miri candoris Columba huc illuc circa illum volitare, tum circum caput ire, tum in dextra ac sinistra manu prono corpore molliter accubare lætitiam miram volatus amenitate incredibili pręseferre cum primò adstantes in admirationem suauem versi essent, mox ad molestiam auertendam omnes simul, & Minister imprimis, qui sacrificanti pręsto erat veluti alter Abram abigere volucrem è sacrificio cępit, solus Marcellus non ignarus, vt arbitror, Columbas aliquando Tabellariorum vice Epistolas huc illuc attulisse, ne expellatur ales vetat; quid enim si à Cœli Regina Tabellaria columba mittatur ac Marcello Pontificis Sedes Petriq; regimen denuncietur? rem hanc res deinde alia tam facilè veram fuisse testata est, non vt fateri solùm, sed profiteri voluisse videatur. Moritur Iulius, Romam ad Pontificia comitia reuocatur Marcellus, neq; prius dat se in viam, quàm Virginem Lauretanam visendam, quæ sibi non in Pontificatum modò, sed in Cœlum etiam viâ expeditissima patere par erat. Agebatur tum anniuersarius dies quò die Annunciata Virgo suo prono in obedien-

tiam

tiam verbo, Dei Verbum carne ita irretiuit, ac sepsit vt homo Deus tanquam rete ad immortalitatem expiscatos mortales eu inciret. Marcellus ibidem Missę sacrificium exorditur, pro nouo seligendo Pontifice votis oĩbus ac precibus præcatur Deum. quid plura? vix medium peregerat, cum repente totum sacellum nutare, Ara contremiscere, ipsum timoris Deum augustissimũ venturum facilè credidisses, venientem libenter. Hinc in præclarissima specie Dei parens videndam sese offert, Ceruinum recreat mirificè, nouum illi Pontificatus apicem pollicetur. hic vt primò sese ex altissimo timore recepit, beneficium recentissimum gratissimà memorià compẽsans, per publicum scribam refert in codicillos se Summo Pontifice suam fidem obligatam velle, vt ad Lauretani fani splendorem Clericorũ numerus amplificetur. Patres Societatis Iesu (quo sontium plures ad Virginis clientelam traducantur) plures quàm tunc essent numerentur. ipsum Municipium Laureti, ciuitate recenter extructa ciuitate donetur, vt nimirum cœli Virgo, quæ eo in loco dum Deum hominem concepit veluti diuini Solis Ciuitas fuit, ciuitate à Ceruino grati animi monumento illustretur. Num igitur hac in re perspecta Auditores, de Ceruina pietate tam nota, tam testata, tam magna, tam manifesta, tam præsenti Virginis pręsentia, ac manu consignata dubitemus? vt quo in loco, vt ita dixerim, ęternum illud Senatus Consultũ factum est, vt Maria Deum filium pareret, referente Gabriele Archangelo, idq; incredibi Dei amore, ac mortalium bono comprobatum, eodem in loco, ipsa Maria referente, Marcellus Mariæ filij Vicarius, idest Mariæ

adoptiua proles Summus Pontifex crearetur. Quis non omnia eximia huic viro abſcribat? quibus te parem lau dationibus faciam Marcelle Sanctiſſime, quem omni ſanctitate maior Regina Maria ſalutat? quod nam laudum monumentum, quam tibi celebritatis Aram conſtituam, cum tibi ipſamet Chriſti parens ſuis penè manibus Pontificatus immortalem molem conſtruxerit? Erunt erunt de hoc inciſę hominum mentes, tanquam litterę mirabilis pietatis tuę teſtes ſempiternę nunquam de te admiratio, nunquã gratus hominum ſermo conticeſcet, quando tui ſanctimoniam de cœlo delapſa, cęli Sanctiſſima Regina declarauit. Feſtina igitur in Vrbem, Ceruine, non ambitioſa ſollicitudine anxius, ſed de promiſſa dignitate ſecurus, Eccleſiæ tibi principatũ, non Chaldæorum natalitia prædicta, aut in te benigni ſtellarum motus, ſed cœlorum ac ſtellarum flammis prælucentibus coronata Domina reſeruauit. Tali igitur Virginis teſſera munitus Romam venit, in Cardina lium Senatum intrat, & vt magnum, ac periculoſum quoddã negotiũ vltrò ſe ſe dedit, magnũ ac virilem ani mũ ſolus ipſe planè vir oſtendit negotiũ fuit huiuſmodi. Heluetij milites (ij ſunt, qui pontificio lateri ſtipatores, atq; apparitores adſiſtunt) cum ſuo, neſcio quo ſeditionum nutricula, duce, qui ne ad punctum quidem temporis, ſobrij hominis cogitationem aſſumere conſueuerat, tumultuare, furere ſimul cæperunt præter morem legeſq; gentis, eò quod illis ob anguſtiam pontificij ærarij ſtipendium non numeraretur. res peruenerat non ad concurſum modò ac ſtrepitum, ſed prope concitata ſeditione ac diſcordia, procaciſſimis verbis ſa-
cros

cros Patres lacessere, in foribus obsidionem instruere; direptiones, ac vexationes, pestes importunissimę intentare. Ad tam insolentes hominum conatus audaciamq; comprimendam, cuius nam celeritas, cuius magnanimitas ac virtus in promptu sit? Adest cum duobus Cardinalibus Marcellus, quibus timore eximio percussis, ac vix respirantibus, in medium prodit, tanquam flagrantissimus Sol ad illam seditiosorũ nubem disijciendam. Enimuero, inquit, non impunè tanta se se extulit audacia, si nescitis trium hic nostrùm alter actutũ Pontifex pronunciabitur, hic quisquis erit contra vestrũ hoc immane temeritatis scèlus acerrimus Iudex erit. Recruduisset hic alioquin Helueticæ seditionis vulnus, nisi Ceruinæ grauissimo vocis sono perculsum obmutuisset, in genua supplices procũbunt, fecisse se temere, se improbos, cõtaminatos, flagitiosos, auarissimi animi, infamis animæ fuisse, ingratissimè prolapsos, dignos qui ex hominum numero exterminarentur nisi delicti veniam peterent ab ijs quorum clementia nullis ferè nisi pietatis ac miserationis septa terminis coercetur. neque tantos animos iniuria quauis excogitata hauriri vnquam posse. Quid hic magis miremur? Auditores, an Marcelli diuinam ac formidolosam omnibus contra fulgẽtes gladios autoritatem? an Pontificatũ, quem suo sibi vocis certissimo oraculo diuinauit? diuinitus Põtifex eligitur, in quem oĩum suffragia conuolarunt, sed nimirũ Aprili mense Ver hoc fœlicitatis perbreue Terrarum Orbi aperitur, quo in mense nitidissimi flores orti occidunt, aucti cõsenescunt. Agebantur tunc temporis mestissimi dies in quibus Ecclesia optimo suo parẽti passo

Domino, lugubri ac lõgo apparatu parẽtat. Marcellus cùm de Pontificum more sacris perpetuò interfuisset, & Resurgentis etiam Domini celebritatem assidua ac suauissima pietate interfruendo etiam prosecutus fuisset ignarus suam illam inter sacrificandum vocem cygnęam esse, seq; breui cum resurgente Domino triumphaturum, caput ei primùm condoluit, sudoreq́; multo cùm cohortuisset cum febri in lectulum redijt. Sed videte in fragili, ac fallaci mortalium fortunà, Marcelli magnanimitatem, atq; constantiam: decem ipsos dies antequam consumeretur, omnibus facillimùm aditum auresq; libentissimas accomodauit diceres à Ceruino Sole, dum in occasum ac mortis noctem vergit, pręclariores pietatis ac mansuetudinis virtutes, quasi sidera depromi. itaq; pridie quàm moreretur longissimum sermonem cum Alexandro Farnesio grauissimis de caussis protraxit, vt quemadmodum mea fert cògitatio, à Farnesio Principe quinque dignitatum talenta acceperat, quina alia Pontificatus facta accessione mercator fidelissimus restitueret. Demum decimo quo laborauerat die in Solis exortu, primo diluculo inter Iesu, ac Mariæ.f. inter æternæ Aurorę Solisq; duas manus Spiritum suum moriens commendauit. O imbecillitatem fragilitatemq; humanę fœlicitatis? cuius fastigiũ quò magis propositum, atq; in altum editum est, eò vehementiùs ab omnibus inuidiæ, & calamitatis ventis circumflatur. Sanctissimus Pontifex omnium secundissimis votis, meritis suis ad pontificatum euectus, dum multa de omnium salute, multa de vtilitate Christiani ordinis cogitaret, & decerneret; in medijs tantarũ mo-

lium

lium meditamentis à morte oppressus est non opprimentur quidem sanctissima eius facta atque consilia, quę licet illo viuo nec omnino ab omnibus probata fuerint, illa tamen exploratissimo Iudicij tempore dum mortuus, homines audaciores diuina, atq; immortalitate donanda esse censuerunt. Reperta est in Marcelli arculis scheda quædam sua manu descripta, summa rei eò spectabat. creare se velle nouum quendam equitum ordinem, adiunctis illis, qui Sancti Petri Equites vulgò nominantur. Eorum Magister summus atq; Imperator esset ipse Pontifex Maximus, Romę domicilium suum figerent, clarissimum stipatum, & custodiam Pontifici afferrent, si quando periculum postularet in Pōtificijs triremibus, vel ad Ecclesiasticos fines Sicariorum aut infensorum hominum audaciam, ac depopulationem propulsarent. Nouum singulare præsidij genus excogitatum, amplissimum sanè non in Vrbe modò, sed in terrarum Orbe clarissimum monumentum Ceruine magnanimitatis, liberalitatis, splendoris. Credo ab illo Ceruorum exercitum scribi voluisse, qui sub Pontifice Summo, idest fortissimo Leone, dimicantès, terrore pugnarent, autoritate vincerent, aspectu profligaret. Vel talem exercitum ideo in extremo vitę actu conscribere voluit Marcellus, vt intelligeremus Imperatorem talem occumbere, cui perenni cum plausu acclamari deberet, reddiq; illi honores necessarios. posse, debitos non posse.

LAVS DEO.

FRANCISCI MARIÆ CERVINI,
Marcelli Pontificis pronepotis,
De Insignibus Farnesiorum, & Ceruinorum.

EPIGRAMMA.

FLAVENTES inter recubans mea Cerua Maniplos
Solùm dat Cereris munere posse frui.
At tua designant, Farnesi, Cerula Cælum
Lilia, & in astrifero gramine Vere frui.
Aut igitur mea Terra tuo sit munere Cælum
Vel placido in cælo viuere posse tuo.
Non ingrata peto. Cereris nam terra, Iouisq;
Cælum est; non inter numina munus iners.

CARMINVM SERTVM
Aliquot Politianorum Adolescentium.

AD ILLVSTRISSIMVM PRINcipem Odoardum Farnesium S. R. E. Card. Ampliss.

FRANCISCI RICCII.

ASTRORVM vigiles oculi si nocte serenas
Excubias cælo conficiunt, prohibent
Ne in cælum penetres: animi tua sidera Princeps
Te Cælum cunctis dum referunt reserant.

VER-

VERGILII BENCII.

ASPICE prata nouo dum flore decentia regnant
Aestatis calido victa vapore cadunt.
Lilia pallenti folio tremebunda labascunt
Nam flores omnes sic breue tempus habet.
At tua cum cælo conspirant Lilia Princeps.
Cerula sunt: vincent tempus, odore rosas.

FRANCISCI BRACCII.

NOmen, & omen habes animis fatale regendis
Farnesi: Paulus rexit, & ipse regis
Ille sed imperio, tu dulci mente; senecta
Ille graui, tu cum prima iuuenta viret.
O Pauli proles generosa, in pectore Paulum
Si generas oriens, quem referes moriens?

BERNARDINI PACICHELLII.

TE quoties, cælum toties mihi cernere dixi,
Et prope tam Solem, quam prope cerno diem
Farnesi mihi purpureos si pandis amictus
Aurora, & Cælum Sol mihi, & vnus eris.

MAR-



MARCELLI CERVINI ORATORIS.

ALma Ceres flauas terris profudit aristas
Lilia Iunonis lacte fuere sacro.
Ceruini seges, & flores Pauli, vtraq; cæli est
Dos quam suspexit, Sol Oriens, moriens.
O quoniam cæsa est Ceruini messis; odorem
Farnesi spirent Lilia; dius ero.

F. M. D. A. S. T.

VIDI ego sidereas equitare per ethera flammas
Et Lunam circum spargere nocte dies.
Quàm bene tum dixi Farnesia stemmata cerno
Quam maiora parit lumina tanta domus?
Maiestas Pauli, Marcelli gloria, Luna
Clara magis, solis lumine clara magis
Quod si Odoarde tibi proles Ceruina quasi astra
Grata micet. quam sortem ambitiosa petat.

FINIS.





ERRATA SIC CORRIGE.

Pag.	Ver.	Errata.	Corrige.
3	17	*teſtimonis*	*teſtimonijs*
5	6	*patria*	*patrio*
7	2)	*pupullarunt*	*pullularunt*
8	22	*deferre*	*deferret*
9	25	*ruſticans*	*ruſticanis*
13	11	*illam*	*illum*
18	12	*celeritatis*	*celeritas*
13	26	*oportare*	*optare*
19	2	*principium*	*principum*
19	29	*tranſmitti*	*tranſmittit*
20	12	*illis*	*illius*
20	27	*pænarum*	*pænorum*
21	25	*ſenarum*	*Senatum*
24	18	*gaudo*	*gaudio*
24	27	*clauderentur*	*clauderetur*
25	3	*verſatus*	*Verſatur*
25	13	*propoſitus*	*propoſiturus*
26	19	*Eccleſia*	*Eccleſiæ*
26	19	*decus*	*dedecus*
26	23	*decore*	*dedecore*
29	13	*coutrouerſiis*	*controuerſijs*
30	4	*quotidiana*	*quotidianas*
30	25	*peruenit*	*perueniet*
31	8	*compoſitis*	*compoſitus*
38	13	*gentilitum*	*gentilitium*

numini

38	19	*numini*	*numinis*
39	27	*illus*	*illius*
40	17	*Abram*	*Abraham*
4)	23	*profligaret*	*profligarent*
47	5	*habet*	*habent*
47	15	*pacichellij*	*paciuchellij.*
48	8	*.T.*	*.I.*